



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

LXXX. Die Herzogin Agnes von Braunschweig schenkt zum Seelenheil ihrer Eltern, ihres verstorbenen Gemahls und ihres Bruders das Patronat der Katharinenkirche in der Neustadt Salzwedel dem Kloster des ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

LXXX. Die Herzogin Agnes von Braunschweig schenkt zum Seelenheil ihrer Eltern, ihres verstorbenen Gemahls und ihres Bruders das Patronat der Katharinenkirche in der Neustadt Salzwedel dem Kloster des h. Geistes bei Salzwedel, am 15. Juni 1320.

In nomine Domini amen. Omnibus hoc scriptum intuentibus Agnes, dei gratia Ducissa Brunsvicensis, salutem in eo, qui dat omnibus affluenter. Cum hii, qui plus ceteris honoris et gratie acceperunt in presenti vita a domini honorum omnium largitore, eidem debeant fore amplioris reverentie debitores, ne tanquam accepti immemores beneficii, notam ingratitude paciantur; hinc est, quod in salutare remedium animarum videlicet illustrium Dominorum Woldemari, quondam nostri conthoralis karissimi, Hermanni, genitoris nostri dilecti, ac Johannis, nostri germani, quondam Marchionum Brandenburgensium, et Anne, matris nostre pie memorie, nostri quoque nunc conthoralis perdilecti Domini Ottonis, Ducis Brunsvicensis, ac anime nostre dedimus et presentibus literis donamus donatione sollempni devoto collegio Canonicorum regularium monasterii sancti Spiritus prope Soltwedel jus patronatus ecclesie sancte Katherine in noua ciuitate Soltwedel et altaris beati Mathei in eadem ecclesia situatum cum dote et omnibus eorum prouentibus iuribus ac pertinentiis, de quibus etiam esset habenda mentio specialis pleno jure et proprietate perpetuis temporibus possidenda, sicut ea possidet honorabilis vir Dominus Conradus plebanus ibidem. Et quam primum eandem ecclesiam et altare predictum vacare contingerit siue per mortem siue per resignationem vel alias de jure, prepositus jam dicti monasterii quatuor de suis fratribus in eis collocabit, qui ecclesiam eandem et altare officiantur memoratum, horasque cantabunt canonicas atque cetera facient facienda. Si vero quod absit dictam ecclesiam et altare adeo in fructibus deficere contingeret, quod quatuor persone ad officium non sufficerent commode et sustentari, extunc in restrictione personarum hujusmodi ipsius prepositi conscientiam oneramus. Ipsi quoque prepositus et conuentus in reconpensam deuotam ad hec se adstrinxerunt et obligarunt expresse, quod ipsi et successores eorum anniuersarium predictorum Marchionum, nostre matris prefate, domini Ottonis nostri nunc conthoralis Ducis jam dicti et nostram, dum iubente Domino migrauerimus de hoc mundo, peragent in dicta ecclesia et in ipsorum monasterio sollempniter in perpetuum, ac si funus semper presens esset cum vigiliis atque missis, singulisque diebus dominicis memorias predictorum et nostri, dum de medio fuerim sublati, ad plebem faciant nominatim hortando Christi fideles, ut pro dictis et nobis patrem misericordie suppliciter intercedant. Hujus nostre pie donationis testes sunt Cristianus in Morin et Tylo in Gryfwolde plebani Capellani nostri, Conradus dicte ecclesie plebanus, Borchardus et Buffo de Bertensleue, Bernardus et Wernerus de Schulenborch, Henningus dictus Crucemann, Gherardus dictus Wulf, milites, Bodo et Siffridus, fratres, dicti de Wallstoue, Hunerus de Knezebeke, famuli, nostri vasalli alique quam plures fide digni. In cujus rei testimonium nostrum sigillum de certa nostra scientia presentibus est appensum. Actum et datum Soltwedele, anno domini M^o. CCC^o. XX^o., die beatorum Martyrum Viti et Modesti.

Gercken's Cod. VI, 378 ex cop. Beckmann's Besch. a. a. D. Sp. 77, Hannöv. Anz. 1753 S. 82, Lenz Br. Urk. S. 238, am letzten Orte mit der Jahreszahl 1330.